

deferri. Clamat assidue è summo suo tribunali, simpliciter acquiescendum esse Scripturæ: sine controuersia recipiendū esse quicquid illic præcipit. Quidquam addere vel minuere ex sensu humano, nefas esse pronuntiat. Insurgunt vertiginosi isti Spiritus, nec sententias modo dilucidis Scripturæ testimonijs probatas, insulsis suis commentis obruere audent, sed ipsis Scripturæ verbis petulanter subinde obstrepere, imò pro sua vecordia damnare quod ex sacrosanctis Dei oraculis ad verbū trāscriptum est. Et adhuc cum pellitis suis capistris eousque superbient, vt simul ac verbum protulerint, censura sit doctrina, cuius authoritas sanguine Filij Dei obsignata fuit? Adhuc regnum cælorum quod est Euangelij prædicatio, Christi que venerandum tribunal impetere audebunt, quod cælestes quoque Angeli suppliciter adorāt? Atqui non modo à facie Dei silere iubetur omnis caro, sed Angelis anathema Paulus denuntiat, siquid in Euāgelij doctrina ab ipsis mutari contingeret. Quò progressi sint licētia isti ex Stygia palude ranunculi ad maledicendum Deo uiuo, ex meis defensionibus abunde perspicuum

